DE

COELESTI TESTIMONIO

In 1. Ioan. Cap. V. vers. 7.

ANALECTA, ET PARALIPOMENA

AUCTORE

FRANCISCO IAVARONE

THEOLOGIAE DOGMATICAE

IN REGIA STUDIORUM UNIVERSITATE

PROFESSORE SUFFECTO

AC REGIO HERCULANENSIUM VOLUMINUM INTERPRETE.

NEAPOLI

TYPIS IOANNIS DE BONIS

CIƆIƆCCCXVII.

EXCELLENTISSIMO, AC REVERENDISSIMO

D. CAROLO MARIAE ROSINIO

PUTEOLANAE ECCLESIAE ANTISTITI
REGIAE SOCIETATIS BORBONICAE PERPETUO PRAESIDI,
ET HERCULANENSIUM VOLUMINUM BIBLIOTHECAE
PRAEFECTO ETC.

FRANCISCUS IAVARONE

S. P. D.

Quum de variantibus Sacrarum Scripturarum lectionibus, earumque usu, et κριτηρίῳ *Commentationes aliquot typis mandare deliberarem; illud mihi consilium capiendum existimavi, ut, antequam ad opus absolvendum admoverem manus,* Διατριβὴν *hanc, quasi totius operis specimen, exhiberem, et quodnam de illa iudicium docti viri facerent diligenter explorarem. Quod vero prae ceteris Tibi, Antistes ornatissime, illam sistere, tuumque subire*

iudicium exoptaverim; ad id meum animum non multum haesitantem duae potissimum rationes impulerunt. Primum enim Tu, quoniam inter tanta, ac tam praeclara, quibus perfunctus es, munera, Sacras Scripturas in nostro Archigymnasio summa cum laude es interpretatus, optime nosti ex variarum lectionum cognitione, rectoque usu quantum utilitatis ad Bibliorum tum αυθεντιαν, tum ἑρμηνευσιν ab Haereticorum calumniis vindicandam adcedat. Deinde in Te cum omnigena eruditione, qua in litteratorum hominum Republica tanto honoris splendore fulges, singularis illa humanitas, suavissimique mores, quibus vel in ipsas homunculorum litterarias ineptias oculos couiicere non renuis, mirifice coniunguntur. Hac igitur humanitate, quam propria experientia cognitam, penitusque perspectam habeo, fretus, te rogo, atque obtestor, ut meam hanc Exercitationem patienter perlegas, tuumque gravissimum iudicium mihi ea, qua solitus es, ingenuitate, significes. Quae sane, si Tibi prorsus indigna non videbitur, ut lucem adspiciat, et ipsa tuo Nomine condecorata minus pudibunda in publicum prodibit, et ego fideutiori animo ad ceteras, quae ad propositum argumentum pertinent, conficiendas, adgrediar. Vale. xv Kalendas Quintiles cIↄIↄcccxvII.

I. Legenti mihi, ac pervolutanti Sacrarum Scripturarum Codices cum variae lectiones non semel, nec raro ante oculos versentur, tum nullibi maior, aut gravioris momenti occurrit varietas, quam in *πολυθρυλλητῳ* illo primae Ioannis Epistolae versiculo, qui et ad confirmandum Trinitatis Mysterium multum firmamenti, ac roboris habet, et ab infensissimis tanti Dogmatis hostibus pro viribus oppugnatur. Manuscriptorum sane Exemplarium, sive Graeco sive Latino idiomate illa sint exarata, alia versiculum, de quo loquimur, omnino praetermittunt, alia margini adscriptum exhibent, alia eodem, quo in Vulgata Latina editione legitur, ordine proferunt, nonnulla collocationem invertunt, plura denique voces aliquas vel immutant, vel detrahunt, vel adiungunt. Sanctorum Ecclesiae Patrum aliqui *κομμα* hoc, veluti luculentissimum veritatis testimonium quibusdam in locis adhibent, alii vero de illo ne verbum quidem in iis ipsis Operibus faciunt, quae de Trinitate elucubrarunt. Criticorum denique doctissimi aliqui in Ioannis Αυτο-

γραφῇ *Coeleste Testimonium* versiculo controverso inclusum nunquam extitisse mirifice contendunt; alii vero ipsum non aliena manu intrusum, sed Apostoli genuinum omnino esse evidentissimis argumentis constare arbitrantur. Quamobrem ego qui de Sacrorum Codicum praecipuis variantibus lectionibus aliqua disserere mihi proposui: operae pretium me facturum existimavi, si hanc ceterarum omnium nobilissimam, et gravissimam susciperem expendendam. Quam quidem Biblicam Exercitationem, ut ea, qua par est, diligentia, ac industria perficerem, praeterquam quod graviores Auctores, qui materiam hanc pertractarunt, legere non omiserim, ad Manuscriptos Codices, quotquot ipse potui, evolvendos adcessi, atque cum Viris nostrae aetatis in Codicum lectione non mediocriter versatis rem conferendam sedulo curavi. Itaque ut notam, quae mihi ob argumenti tam triti repetitam tractationem, inuri potuisset, pro viribus declinarem; non modo rationes pro utraque parte a Criticis praestantissimis huc usque adlatas colligendo, ac aequis examinando ponderibus, sed alias etiam, si forte menti occurrerent, investigando, eum laborem me suscepturum speravi, quo neque ipse tempus sine causa consumpsisse dolerem, neque Lectores de molestia sibi inutiliter exhibita iure, meritoque conquererentur.

H. Ioannis proprium, ac legitimum esse versiculum, cuius *αὐθεντιαν* mihi defendendam proposui non modo infestissimi Trinitatis Hostes, verum etiam eorum nonnulli, qui tanti Mysterii veritatem profitentur, inficiari non dubitant (1), ea praesertim ratione suffulti, quod omnia fere Manuscripta Exemplaria maxime Graeca illum omnino praetereant. Quo igitur falsae istorum opinionis radicem ipsam, et fundamentum convellerem, Manuscriptos Codices non paucos, nec

---

(1) Sociniani, quum impiis in Sacros Libros Commentariis cuncta Christianae Religionis Mysteria funditus evertere conentur, versiculum Joannis nulla ratione contra Trinitatis Arcanum contorquere valentes, sequuti vestigia Georgii Blandratae in *Bibliotheca Anti-Trinitariorum*, illum *γνησιον* esse negarunt. Inter hos praecipue recensendi Faustus Socinus, Jonas Slichtingius a Bukowiek, Samuel Perzipcovius, quorum Opera complectitur apertissima illa Incredulitatis Schola *Bibliotheca Fratrum Polonorum* edita Irenopoli, et Eleutheropoli 1656 Tom. I. V. VII Novatorum pauci quidem, quos inter Joannes Clericus, et Hugo Grotius Criticorum audacissimi, in hanc sententiam iverunt. Longe plures enim, nec infimi subsellii, ut ex ipso Operis decursu patebit, abierunt in alia omnia. Neque defuerunt ex Catholicis, qui huius loci *γνησιοτητα* impugnarent, quorum agmen, quantum scio, ducit Richardus Simonius in *Historia Critica Novi Testamenti* confutatus praeter alios multos ab Arnaldo in duobus scriptis, quae sequentes titulos praeseferunt. *Difficultés à M. Steyaert. Dissertation Critique touchant les Exemplaires Grecs, sur lesquels M. Simon pretend que l'ancienne Vulgate a été faite, et sur le jugement, que l'on doit faire du fameux Manuscrit à Beze.*

parvi ponderis, qui locum Ioannis integrum prout in Vulgata Editione legitur praeseferunt, in hac prima Disputationis parte in medium proferre decrevi. In altera vero parte, ne universa argumentorum materia permixta et confusa saltitatem potius, quam delectationem pariat, Patrum sententias, ac in tertia demum rationes ex critica Arte depromptas proponam.

III. Atque ut a Graecis Codicibus exordiar, inter eos principem certe obtinent locum Vaticani quidam antiquissimi, quibus usi sunt Viri Orientalium linguarum peritissimi, quum Cardinalis Ximenis mandato Polyglottis Sacrarum Scripturarum libris edendis Compluti operam darent. In hac quidem Editione comparanda praelaudatus Ximenes se nullum non movisse lapidem affirmat, ut Divinorum librorum *textum* mendis omnibus perpurgatum, atque omni ex parte correctissimum exhiberet; atque idcirco tum Eruditissimorum hominum operam adhibuisse, tum praecipue emendatissima, vetustissimaque Manuscripta, quibus fidem abrogare nefas omnino videretur, ex variis locis non sine summo labore conquisivisse testatur. In operis namque Praefatione Leonem X. Pontificem Maximum his alloquitur verbis: *Qua in re id aperte Beatitudini tuae testari possumus, Pater sanctissime, maximam laboris nostri partem in eo praecipue fuisse versatam, ut et virorum in lin-*

guiarum cognitione eminentissimorum opera uteremur, et castigatissima omni ex parte, vetustissimaque Exemplaria pro Archetypis haberemus, quorum quidem tam Hebraeorum, quam Graecorum, et Latinorum multiplicem copiam variis ex locis non sine summo labore conquisivimus. Atque ex ipsis quidem Graeca Sanctitati tuae debemus, qui ex ista Apostolica Bibliotheca antiquissimos tum Veteris, tum Novi Testamenti codices perquam humane ad nos misisti, qui nobis in hoc negotio maximo fuerunt adiumento (1). Hoc ipsum autem Hispani Theologi, qui omnem curam in praefata Editione posuerunt in Novi Testamenti Prologo apertissime confirmant; ibi enim lectorem hac de re monentes: *Illud* (inquiunt) *lectorem non lateat non quaevis Exemplaria Impressioni huic archetypa fuisse; sed antiquissima, emendatissimaque, ac tantae praeterea vetustatis, ut fidem eis abrogare nefas videatur: quae sanctissimus in Christo Pater, ac Dominus noster Leo X. Pontifex Maximus huic instituto favere cupiens ex Apostolica Bibliotheca educta misit ad Reverendissimum Dominum Cardinalem Hispaniae, de cuius auctoritate, et mandato hoc opus imprimi fecimus.*

---

(1) Vide *Bibl. Polyglot.* edita Compluti. Anno cIↃIↃxv.

IV. Quin etiam Simonius ipse Criticis in utrumque Testamentum scriptis notissimus, quamvis *Coeleste Testimonium* Joannis germanum non esse acerrime defendat, Compluteusis Editionis, ac Manuscriptorum Codicum, qui illi inservierunt, laudes celebrat; et Cardinalem Ximenem, cui primam Novi Testamenti Graeci Editionem debemus, Emendatos Codices revera conquisisse aperte, ingenueque fatetur (1); ac desiderandum fore adiungit, ut omnes qui postea Novum Testamentum typis mandarent primam hanc Impressionem magna cum cura, et diligentia sequerentur (2). Quod si Complutensis Editio vetustissimorum, ac omni ex parte correctissimorum Exemplarium lectionibus fuit expressa, ac tantum habeat auctoritatis pondus, ut eam Simonius ceteris Editoribus, tamquam Prototypum ad imi-

---

(1) *Le Cardinal Ximenes, à qui on est obligé de la premiere Edition du Nouveau Testament en Grec, avoit à la verité fait recherche de bons Exemplaires Mss., mais il n'a point remarqué aux marges de son Edition les diverses lecons de ces Exemplaires, ayant seulement gardé dans le Texte celle, qu'il jugeoit etre la meilleure.* Simon *Histoire du Texte du Nouveau Testament* Chap. XXIX.

(2) *Il eût été meme à desirer pour garder une plus grande uniformité, que ceux, qui ont publié des nouvelles Editions du Nouveau Testament en Grec, eussent tous suivi exactement l'Edition d'Alcala, ou Complute, qui est la premiere.* Simon ibidem.

tandem proponat, controversum versiculum in praestantissimis Codicibus reperiri, quis umquam in dubium revocare audebit?

V. Pulcherrima vero, quae Complutensi successit Roberti Stephani Editio, quam se satis mirari non posse affirmat praelaudatus Simonius (1), gravissimum aliud ad nostram thesin confirmandam suppeditat argumentum. In illa nimirum ingenii, et eruditionis suae specimen praebuit accuratissimus Typographus: decem enim, et sex Manuscriptorum Codicum varietates, inter quos quidem Codices aliquot se nactum fuisse dicit ipsa vetustatis specie pene adorandos, in ipsius margine notavit; ac licet Complutensem *textum* persaepe sequatur, ab eo tamen recedere non dubitat, ubi Exemplarium suorum lectiones emendatiores fuisse sibi persuaserit. Non modo autem in pulcherrima hac Editione *Coeleste testimonium*, ut sincerum, atque germanum retinet; verum, etiam in omnibus illis sexdecim Manuscriptis, quae in manibus habebat, invenisse, ac in septem eorum non integrum versiculum, sed illa verba tantum εν τῳ

(1) *On ne sauroit assez admirer la belle Edition du Nouveau Testament Grec de Robert Etienne* in folio, *où il donne des preuves de son erudition et de son jugement.* Simon ibidem.

ουρανῳ defuisse testatur (1). Quum ergo in illis septem nonnisi varietatem hanc, quae minimi, imo nullius momenti est, diligentissimus Robertus animadverterit, in Stephanicis omnibus Manuscriptis, quae tum vetustate, tum notarum praestantia eximios fuisse nemo inficias ibit, controversum Ioannis locum reperiri pro certo, exploratoque habendum.

VI. Nec silentio praetereundum mihi videtur Eximium illud Angliae Manuscriptum, Britannicum vulgo nuncupatum, in quo non modo octavum, sed septimum quoque versiculum Desiderius Erasmus se

---

(1) Consule locum controversum in *Editione Novi Testamenti*, quae prodiit Lutetiae ex Officina Rob. Steph. anno CIↃIↃL., ubi reperies verbis *εν τῳ ουρανῳ* signum adpositum, quod indicat has tantum voces deesse in septem Codicibus, quos in margine litteris δ. ε. ζ. θ. ι. ια. ιγ. notatos animadvertes. Hallucinatus est igitur Rogerius in *Dissertatione Critico-Theologica contra Socinianos*, *et novos Criticos super verba Ioannis* Tres sunt . . . . . de qua Patres Trivultiani meminerunt, adfirmans Stephanum in septem Mss. integrum στιχον non invenisse. Vide *Memoires de Trevoux Ann.* CIↃIↃCCXIV. *Fevrier*. Item errasse mihi videtur Morinus *Exerc. Biblic.* Exerc. II. cap. I. in eo, quod adserit in ceteris novem Mss. septimum versiculum Stephanum non legisse. Si enim ita se res haberet, sedulus Editor, qui minimam illam varietatem in septem Exemplaribus inventam notaverat, de hac maxima in novem existente lectorem monere profecto non omisisset.

legisse fatetur. Quum enim eius lectione motus Erasmus in tertia Novi Testamenti Graeca Editione *Textui* controversum Ioannis locum, quem in duabus aliis preaetermiserat, inseruerit, perquam vetustum, emendatumque illud Erasmus existimavit; immo tanti etiam momenti, ut illorum, quae antea Erasmus ipse perlegerat, auctoritatem omnino vinceret (1).

VII. Qui vero primus omnium ad legendos, ac pervolutandos Novi Testamenti Graecos Codices manum admoverit, cuius exemplum Erasmus ipse sequutus est, Laurentius Valla fuit Vir Graecae, La-

---

(1) Non sum quidem nescius Erasmum, quum se Britannici Codicis fidem sequutum septimum versiculum edidisse narraret, haec statim adiunxisse: *Quamquam et hunc suspicor ad Latinorum Codices fuisse castigatum. Posteaquam enim Graeci concordiam inierunt cum Ecclesia Romana, studuerunt et hac in parte cum Romanis consentire.* Attamen illud quoque memini, Simonium ipsum, etiamsi Erasmi Criticam Artem laudibus prosequatur, eam tamen interdum nimis liberam esse, ac non satis fidam aperte fateri; quam sane sententiam ipsa Erasmi verba, quae modo retulimus, praeter alia, evidentissime comprobant, atque confirmant. Nimirum quod Graeci suos Codices secundum Latinorum lectionem emendarint; id quidem asserit, at nulla ratione demonstrat, nec demonstrare umquam poterit Erasmus. Etenim praeterquam quod locus, quem Graecos ad Latinorum normam correxisse contendit, ipsorum cum Latinis disputationes nullo pacto attingebat; numquam Graecos inter, La-

tinaeque linguae peritissimus (1). Is eo quidem tempore quo Graeca Studia in Europa instaurabantur, multa Novi Testamenti tum Greca, tum Latina Exemplaria conquisivit, atque animadversionibus in Sacros huiusmodi libros compositis, pluribus in locis Codicum suorum varietates exscripsit, atque notavit. Verum ubi ad quintum primae Ioannis epistolae caput advenit, de duplici testimonio agens, nonnisi hoc unum animadvertit, Graecos nempe Codices de Spiritu,

---

tinosque tam acerba simultas fuit, quam post reconciliationem ipsorum in Florentino Concilio. Graecorum enim permulti, duce Marco Ephesino, qui Florentinae Synodi Actibus subscribere noluerat, ut primum in proprias Ecclesias se contulerunt, alia omnia ab iis, quae Florentiae professi fuerant, imo illis omnino contraria decreverunt. Nullo igitur fundamento Graecos, ut Latinorum partibus faverent, Codices suos emendasse suspicatur Erasmus; eiusque sententia vana prorsus ac futilis est, nec legitimum Britannici Codicis testimonium excludit, aut infirmat.

(1) *Plusieurs savants Critiques de ces derniers temps, où l'étude de la langue Grecque a été retablie, se sont appliqués heuresement à ce travail. Valla est le premier, qui ait fait recherche des Exemplaires Grecs du Nouveau Testament, et même des Latins. Il en cite plusieurs dans ses Remarques, qui ont été imprimées à Basle par les soins d'Erasme; et bien qu'il s'arrête trop aux minuties de la Grammaire Latine, on ne laisse pas de luy être obligé de ses nouvelles découvertes dans un temps où la barbarie regnoit encore dans l'Europe.* Simon loco citato.

Aqua, et Sanguine non unum sunt ἐν εισι, sed in unum εις το ἐν legenti exhibere (1). In omnibus igitur Novi Testamenti Graecis, Latinisque Codicibus, quos Laurentius Valla magno labore, studioque collegit, Trinitatis de Christo Testimonium reperiri perspicuum est.

VIII. Iam porro Scriptor Prologi in Epistolas Canonicas, quem Hieronymum fuisse vulgo opinantur, in omnibus fere Graecis Exemplaribus septimum versiculum tum, cum ipse scribebat, legisse videtur. Ubi enim de Canonicarum epistolarum interpretatione sermonem instituit, haec scriptis mandat. *Quae* (Canonicae scilicet Epistolae) *si*, *ut ab eis* (nempe Apostolis) *digesta sunt, ita quoque ab interpretibus fideliter in Latinum verterentur eloquium, nec ambiguitatem legentibus facerent, nec sermonum sese varietas impugnaret; illo praecipue loco, ubi de unitate Trinitatis in prima Ioannis Epistola positum legimus. In qua etiam ab Infidelibus translatoribus multum erratum esse a Fidei veritate comperimus trium tantum vocabula, hoc est Aquae, Sanguinis, et Spiritus in sua Editione ponentes;*

---

(1) Vide Laur. Vallae *Adnotationes in Novum Testamentum* Basileae CIƆIƆXXVI.

et Patris, Verbique, et Spiritus testimonium omittentes; in quo maxime et Fides Catholica roboratur, et Patris, et Filii, ac Spiritus Sancti una Divinitatis substantia comprobatur. Non me latet quidem recentiores Criticos, ac Maurinos ipsos Hieronymi Editores huius Prologi *αυθεντιαν* pluribus argumentis negavisse (1); eum tamen octavo seculo posteriorem non esse vetustissima Manuscripta, in quibus reperitur, satis firme osten-

---

(1) Non defuerunt qui adversus Maurinos ipsos Prologum hunc *γνησιον* esse multis rationum momentis demonstrarunt. Patres Trivultiani in Memoriis, quas supra citavi, post Rogerii Dissertationem, de alia loquuntur Friderici Ernesti Kestneri, quae hoc inscribitur titulo: *Vindiciae novae dicti vexatissimi de tribus in Coelo testibus* 1. Ioan. v. 7. *oppositae Christophori Sandii interpretationibus, paradoxis Richardi Simonii Historiae Criticae Novi Testamenti, Stephani Curcellaei, Ioannis Clerici, et Monachorum Benedictinorum obiectionibus recentissimis.* In hac Διατριβα Kestnerus contendit Prologum in Epistolas Canonicas genuinum esse Hieronymi opus, et Maurinis opponit Felleum Episcopum Oxoniensem, Caveum, Smithum, Maium, Scherzerum, aliosque non paucos praeclaros Criticos, qui in hoc Prologo Doctoris Maximi stylum recognoscunt. At Prologum, de quo loquimur, illi ipsi, qui Hieronymo false adscriptum putant, in vetustissimis tamen Mss. legi, atque adeo venerandae antiquitatis esse demonstrant. Consule Maurinorum in illum adnotationes Tomo I Hieronymi Operum pag. 1669, et seqq. Parisiis cIↃIↃCXCIII.

dunt (1). Quisquis igitur ille fuit, qui Prologum hunc conscripsit, universa prope, Graeca maxime, Manuscripta sua aetate, nempe mille saltem abhinc annis, septimum versum exibuisse testatur.

IX. Sed quid ego plura Manuscriptorum Exemplarium testimonia requiro? Quid amplius in Graecorum Codicum fide expendenda laboro? Profecto unum Hieronymi in sua Novi Testamenti translatione testimonium septimum versum Graeca Exemplaria longe praestantissima primis Ecclesiae seculis exhibuisse tanta perspicuitate ostendit, ut argumentorum omnium, quae adhuc in medio posui, evidentiam lumine suo obscurare videatur. Hanc enim Novi Testamenti versionem, de qua loquor, genuinum Hieronymi opus esse nemo est, qui ambigat: ipse quippe Hieronymus in libro de viris Illustribus se Novi Testamenti libros Graecae fidei reddidisse testatur. *Novum Testamentum* (opera sua enumerans (2) inquit) *Graecae fidei reddidi*; *vetus iuxta Hebraicam transtuli.* In hac autem Translatione, in qua Hieronymus Divinos Novi Testamenti Codices non paraphrasi exponit, neque

(1) Lege modo citatas Maurinorum in Prologum ad Epistolas Canonicas adnotationes.

(2) Tomo II. pag. 941. Editionis Veronensis.

commentario illustrat, sed ex lingua, in qua primum exarati fuerunt, in Latinum Sermonem fideliter vertit, quintum primae Ioannis Epistolae caput e Graeco transcribens, septimum versiculum, qui *coeleste Testimonium* complectitur, integrum in ipsa Sacri *Textus* serie exhibet. Quarto igitur seculo Hieronymus in Graecis Novi Testamenti Codicibus controversum locum quidem certe legebat. Nisi enim Sanctus Doctor in divinis Codicibus evolvendis die noctuque versatus, atque in Sacrarum Scripturarum libros mendis omnibus perpurgatos in lucem edendos maxime intentus, in Graecis Exemplaribus, quae ob oculos habebat, cum Novum Testamentum Graecae fidei redderet, versum illum legisset; numquam profecto in Translatione sua a Graecis Manuscriptis fideliter expressa eum reponere tentasset.

X. Ne autem cui in mentem veniat septimum versiculum non ab ipso Hieronymo, sed ab alia manu in Hieronymi translationem intrusum fuisse, animadvertat velim illam cum laudato versu reperiri in omnibus Sancti Doctoris Operum Editionibus, ac praesertim tum in Editione Maurinorum (1), tum in Veronensi (2), quarum utraque accuratissima fuit,

(1) Tomo I. pag. 1689.
(2) Tomo X. pag. 1080.

tissima fuit, et a Criticis severissimis elucubrata. Quis enim est, qui nesciat Maurinos Patres criticae Artis peritissimos germana Hieronymi Opera ab apocryphis, vel dubiis summo studio, ac labore discrevisse? Cui quaeso ignotum est Dominicum Vallarsium, Scipionem Maffeium, aliosque litteratos homines, Hieronymi Operum Editionem ex Veronensium Canonicorum Codicibus tum vetustate, tum notarum bonitate longe praestantissimis hausisse? Itaque in utraque hac editione nil non verum, nil non legitimum, nil non germanum irrepsit. Editores accuratissimi genuina Doctoris Maximi Opera a spuriis, vel incertis incredibili diligentia distinguunt. Quidquid vero animadversione dignum est criticis, eruditisque adnotationibus lectorem monent. Quum igitur in utraque hac Editione Translatio Novi Testamenti integra una cum versu septimo legatur, eam ita Hieronymum scripsisse nulla est ratio dubitandi, atque adeo sine ulla controversia Hieronymus *Coeleste Testimonium* in Codicibus Graecis sua aetate perlegebat.

XI. Quibus quidem Hieronymi Manuscriptis, quae et vetustate, et auctoritate ceteris omnibus praestant, in medio positis, Hispanum Codicem ab Hessellio laudatum, Vaticanum, de quo meminit Amellotius, Dublinensem, cuius testimonio plerique nituntur, aliosque innumeros libenter praeter-

mittam. Nullum enim facerem dicendi finem, si Graeca omnia manu scripta Exemplaria in medium proferre vellem: ea igitur, quae emendatissima, vetustissimaque videbantur, commemorasse satis, superque erit; atque ad Latina orationem meam convertam. Quae quidem singula nominatim recensere longum esset, et minime necessarium; quum ipsimet Adversarii in longe plurimis Latinis Manuscriptis, quam Graecis κομμα, de quo agimus, reperiri fateantur.

XII. Illud nimirum exhibent quamplurima Exemplaria, quae Lovaniensium (1) Theologorum mandato consuluit primum Ioannes Hentenius (2), deinde Lu-

(1) Quantum studii in corrigendo Vulgatae *textu* impenderint Lovanienses Theologi, aperte ostendunt haec Simonii verba: *Les Theologiens de Paris, et de Louvain se sont aussi appliqués à cette correction, et sur tout les derniers, qui ont reformé plusiers fois le Texte Latin de la Vulgate, en marquant aux marges les Exemplaires manuscrits, et les Auteurs, dont ils se sont servis. Toutes ces Editions Latines des Docteurs de Louvain sont bonnes et utiles, parce qu'ils ont apporté les raisons des diversités; au-lieu que dans l'Edition, qui a été faite par les Theologiens de Paris, au commencement de la quelle il y a une Préface de Iacque le Fevre Docteur de Sorbonne, on n'a point marqué les Exemplaires qu'on a consulté.* Simon *Catalogue des principales Editions de la Bible pag.* 525 *de l'Histoire Critique du Vieux Testament.* Amsterdam CIƆIƆCLXXXV.

(2) *Summo studio curavimus ex iussu, instructione, ac iudicio gravissimorum longeque eruditissimorum, et acerrimi iudicii Theo-*

cas Brugensis (1); eorum namque, qui Catholicas Epistolas complectebantur, quinque tantum Ioannis septimum versiculum omittere praedicti Theologi in Vulgata Editione observarunt (2). Proferunt illum nonnulla Exemplaria, quae doctissimi S. Mauri Patres in adnotationibus ad Prologum

---

logorum huius Academiae Lovaniensis, ut comparatis undique non solum, quae castigatius excusa erant, Exemplaribus, verum aliis quoque plus minus viginti, quorum recentissimum ante ducentos annos manu scriptum erat, alia ante trecentos, quadringentos, imo et sexcentos, vel plures etiam annos, ex horum collatione restitueremus, quoad fieri posset, veterem, ac vulgatam editionem sinceritati suae, atque puritati. Ioannes Hentenius in *Praefatione Bibliae Lovaniensis anno* CIↃIↃXLVII *excusae, atque castigatae*; quam referunt *Biblia Sacra Theologorum Lovaniensium* edita Lugduni CIↃIↃLXIX.

(1) Vide huius Praefationem in adnotationes suas ad Sacram Scripturam, in qua de Mss. Codicibus, cum quibus *Textum* contulit inter alia haec dicit: *In his porro Textum initio singularum notationum ita fere proposuimus, ut in Lovaniensibus est Bibliis, quem deinde cum aliis Latinis Exemplaribus impressis, et scriptis contulimus. Habuimus impressa Exemplaria semper octo aut novem, scripta triginta duo, aut triginta tres, ut minimum, saepe plura, ea quae statim descripturi sumus; propria dico, praeter ea, quae ante nos Parisienses, Hentenius, aliique adnotaverant.* Criticorum Sacrorum Tomo IX. pag. 3133. Londini CIↃIↃCLX.

(2) Vide *Biblia Lovaniensia*, praesertim edita CIↃIↃLXIX, et CIↃIↃLXXX, ipsiusque Lucae Brugensis *adnotationes in Sacram Scripturam* citato loco Criticorum Sacrorum, pag. 3436.

in Epistolas Canonicas laudant, in primisque Corbeiense, quod optimae notae, et perantiquum in Bibliotheca San-Germanensi Martinianaeus se legisse testatur. Illud quoque retinent Codices duo Costantienses, vetus Codex Argentorati, quinque Bibliothecae Bodleianae Codices, Exemplar Venetum, Genevense, Florentinum, Codex denique S. Andreae Brugensis, aliique permulti, quos singillatim dinumerare idem esset ac Diatribae finem, et modum transire. Simonius ipse, licet *Testimonii Coelestis αυθεντιαν* prorsus evertere moliatur, Codicem commemorat, Lotharii II. Regis aetate, nono scilicet Ecclesiae saeculo, exaratum, in quo septimum versum legi ingenue testatur (1).

XIII. Duodecim Latina Manuscripta in Regia Neapolitana Bibliotheca egomet (2) summa voluptate consului,

(1) *Histoire Critique du Texte du Nouveau Testament*. Chap. XVIII. pag. 211. Rotterdam CIƆIƆCLXXXIX.

(2) Facultatem Manuscriptos Codices huius Bibliothecae pervestigandi mihi fecit eruditissimus eiusdem Praefectus Ioannes Andresius, qui huius anni initio summo Reipublicae litterariae, et omnium bonorum moerore e vivis excessit. Non est quidem meum consilium tanti viri laudes celebrare, idem enim esset atque Athenas noctuam mittere: non possum tamen grati animi mei sensus cohibere erga virum, cui me plurimum debere ingenue, ac libentissime fateor. Ipse enim me semper amavit, atque in studiis litterarum omni opera, cura, industria, cogitatione, mente denique adiuvit.

quorum etiamsi aliqui versiculorum septimi, et octavi ordinem invertant, ac in verborum dispositione paullulum a Vulgata aberrent, singula tamen controversum versiculum retinent. Quod si manu scriptos Codices, qui in magnifica Cavae Bibliotheca adservantur, mihi pertractare licuisset; egregium illud Bibliorum Exemplar mille abhinc annis exaratum inspicere potuissem, in quo septimum versum praeclarissimi Viri se legisse testantur.

XIV. Illud autem, quod controversiam penitus dirimit, atque Ioannis locum in iis etiam Graecis, Latinisque Manuscriptis fuisse, quae Apostolicis temporibus legebantur, evidentissime demonstrat, Cassiodorii (1) testimonium est, quod si cognitum, penitusque perspectum habuisset Simonius, tantum laboris, ut celebratissimi versus γνησιοτητα perfringeret, non suscepisset, nec in tot argumentis coacervandis oleum, et operam, ut aiunt, perdidisset. Marcus Aurelius Cassiodorius Senator, quinto a Christi adventu saeculo natus, percelebris quidem Ecclesiae Scriptor, qui nihil omisit, ut correctos Codices praesertim Biblicos posteris

(1) A communi huius nominis prolatione abstinui, quia Cassiodorium, non Cassiodorum esse rectam huius nominis ορθογραφιαν ex antiquissimis Veronensibus Mss. probat eruditissimus Scipio Maffeius in Praefatione Operis, de quo paulo post verba faciam, pag. XXXV.

relinqueret (1) inter Opera, quae, cum Scylacei, quae ipsius Patria fuit, Monasticae Militiae nomen dedisset, elucubratus est, *Complexiones in Epistolis Apostolorum*, *et Actibus Eorum*, *quasi brevissima explanatione* se conscripsisse in Praefatione ad Orthographiam (2) ipse testatur. Ecclesiasticum hoc opus inter deperdita Cassiodorii Scripta communiter recensitum, atque omni prorsus spe abiecta deploratum e vetustissimis Veronensium Canonicorum membranis eruit, ac Florentiae primum in lucem edidit (3) ornatissimus Veronae civis Scipio Maffeius summa eruditione celebratissimus.

XV. Gravissimum sane testimonium, ac omni ex parte firmissimum ad thesin, quam defendimus, comprobandam huiusmodi Complexiones proferuut. Ubi enim quintum primae Ioannis Epistolae caput breviter de more illarum Auctor explanat, totum de duplici

---

(1) Adversariis profecto suspectum non erit Simonii testimonium; qui de tali viro haec habet: *Cassiodore, qui vivoit au commencement du sixième siècle, n'a rien oublié pour nous conserver des Manuscrits exacts, principalement de la Bible.* Simon. *Histoire Critique des Versions du Nouveau Testament.* Chap. VIII. pag. 91.

(2) Tomo II. p.605. Editionis Maurinae Rotomagi CIƆIƆCLXXIX.

(3) Cassiodorii Senatoris *Complexiones in Epistolas*, *et Actus Apostolorum*, *et Apocalypsim e vetustissimis Canonicorum Veronensium membranis erutae.* Florentiae CIƆIƆCCXXI.

Christi Divinitatis testimonio contextum hac paraphrasi exponit (1): *Qui Deum Iesum credit, ex Deo Patre natus est, iste sine dubitatione fidelis est; et qui diligit Genitorem, amat eum, qui ex eo natus est Christus. Sic autem diligimus eum cum mandata eius facimus, quae iustis mentibus gravia non videntur; sed potius vincunt saeculum, quando in illum credunt, qui condidit eumdem. Cui rei testificantur in terra tria Mysteria aqua, sanguis, et Spiritus, quae in passione Domini leguntur impleta: in Coelo autem Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus; et hi tres unus est Deus.* In manuscriptis ergo Codicibus, quos Cassiodorius quinto, et sexto Ecclesiae saeculo pertractabat, controversum versiculum legi adeo certum est, atque exploratum, ut luce ipsa clarius videatur. Manuscripta autem Divinorum librorum Exemplaria quam probatissima Cassiodorium evolvisse infinita pene argumenta suadent.

XVI. Enimvero si vetustatem in illis requiras, prope ad Apostolorum aetatem accedebant; si notarum praestantiam, mendis omnibus perpurgata, et emendatissma deprehendes; si Cassiodorii ipsius diligentiam, summam invenies, ac singularem. Ni-

(1) Pag. 125.

mirum cum tanto studio Monachis suis (1) praeceperit, ut praestantissimos, et Graeci *Textus* collatione repurgatos Codices haberent, ac in ambiguis locis duorum vel trium priscorum, emendatorumque Codicum auctoritate niterentur; hoc ipsum in primis eumdem observasse nullus profecto dubitabit. Immo quum ad vetustos, correctosque Codices maxima cura deligendos in Sacrarum Scripturarum lectione Fratres etiam atque etiam hortaretur (2); quantamne diligentiam industriamque ipsum adhibuisse putabimus cum Dei verbum non legendum tantum, sed et interpretandum susciperet? Sacros porro Codices undique conquisivisse, et collegisse; eos non librariis ut ceteros libros corrigendos tradidisse, sed ipsum sua manu emendasse; ac demum ad disserendum de Orthographia non aliam ob causam aggressum fuisse, quam ut Sacra Biblia incorrupte exscriberentur, Cassiodorius ipse in Divinis Institutionibus aperte dicit (3).

XVII. Quantum vero studii, et laboris in Psalterio praesertim, Prophetis, et Apostolorum Epistolis commentario illustrandis impenderit, ipsius verba testantur: *Quamvis*, inquit, *omnis Scri-*

(1) *De Institutione Divinarum litterarum*, cap. XV. pag. 548.
(2) Ibid.
(3) Cap. VIII. pag. 544, et Cap. XXX. pag. 555.

ptura divina superna luce resplendeat, et in ea virtus Spiritus Sancti evidenter irradiet; in Psalterio tamen, et Prophetis, et Epistolis Apostolorum studium maximum laboris impendi, quoniam mihi visi sunt profundiores abyssos commovere, et quasi arcem totius Scripturae divinae, atque altitudinem gloriosissimam continere. Quos ego cunctos novem Codices auctoritatis divinae, senex ut potui, sub collatione priscorum Codicum, amicis ante me legentibus, sedula lectione transivi. Ubi me multum laborasse Domino adiuvante profiteor, quatenus nec eloquentiae modificatae deessem, nec libros sacros temeraria praesumptione lacerarem (1). Ex huiusmodi igitur Cassiodorii testimoniis tanta perspicuitate, ac evidentia septimum versiculum in antiquissimis, correctissimisque Codicibus inveniri evincimus, ut qui obstinato animo id vel inficiari, vel ad trutinam revocare audeat, impudens omnino videatur. Quid enim tandem Cassiodorianis manuscriptis, eorumque auctoritati Criticus vel severissimus opponet? Numquid maiorem in Cassiodorio diligentiam requiret? At in Exemplaribus variis

(15) In Praefatione Operis *de Institutione divinarum litterarum*. Tomo II. pag. 538.

ex locis conquirendis, iisque tum inter se comparandis, tum ad priscorum Codicum fidem exigendis non sumtui, non operae pepercit. Vetustiora ne Manuscripta optabit? Quodnam autem illis antiquius, quae, cum sexto Ecclesiae saeculo Cassiodorius prisca nuncuparet, ad Apostolorum aetatem propius accedere nihil est dubitandum? An denique Codicum ipsorum fidem convellere tentabit? Atqui eos tum vetustissimos, tum mendis omnibus diligentissime perpurgatos fuisse evidens, et perspicuum est.

XVIII. Quod si ex manuscriptis Exemplaribus tanta evidentia *Coeleste Testimonium* non suppositum; sed Ioannis Apostoli germanum esse perspicitur, qui umquam fieri potuit, ut in tot tantisque *απογραφοις* praecipue Graecis nullum de eo vestigium appareat? En quod nobis obiiciunt, et ad nauseam usque repetunt Adversarii. At vero huiusmodi lapsus tam faciles sunt, atque frequentes, ut nullum profecto movere debeat veterum Codicum discordia. Quum enim plures versus iisdem incipiant verbis, et eaedem voces exiguo forte intervallo geminentur; nihil est sane factu facilius, quam quod scriba vel oculo aberrante unum pro altero exscribat, vel eamdem sententiam duplicatam ratus, alteram, ut supervacaneam, omnino deserat. Nullum nempe est librorum genus, in quo similia omissionum vitia non irrepserint,

ac in dies etiam Codices evolventi non occurrant.

XX. Nimirum, ut sexcenta alia exempla tum ex sacris, tum ex profanis libris deprompta tacita relinquam (1), Hieronymus maximus Ecclesiae Doctor, ac in divinorum librorum studio noctes atque dies versatus in Ieremiae Prophetae Commentario duo tricesimi capitis κομματα a LXX Interpretibus, cum eadem verba iterentur, omissa fuisse observat. En totus Prophetici sermonis contextus: *Omnes amatores tui obliti sunt tui, teque non quaerent; plaga enim inimici percussi te castigatione crudeli: propter multitudinem iniquitatis tuae dura facta sunt peccata tua. Quid clamas super contritione tua? Insanabilis est dolor tuus: propter multitudinem iniquitatis tuae, et propter dura peccata tua feci haec tibi.* Quem quidem locum Hieronymus exponens inter alia multa hoc apposite ani-

---

(1) Multa huius generis menda collegit Ioannes Clericus in *Arte Critica* Part. III. Sect. I. cap. V. pag. 49. et seqq. Amstelodami CIↃIↃCCXII. Ipsa Herculanensium voluminum lectio non pauca talium σφαλματων argumenta mihi praebuit. In columna VII. unius ex Operibus *de Rhetorica*, cuius auctor Philodemus, librarius ex eiusdem articuli των bina repetitione, quod inter utrumque interiectum erat κομμα praeteriit. Similia occurrunt in columna III. Operis Polystrati περι αλογου καταφρονησεως et in aliis pluribus, quae ut brevitate utar, relinquo.

madvertit : *Quodque sequitur* (inquit) » *Quid clamas super contritione tua ? Insanabilis est dolor tuus propter multitudinem iniquitatis tuae* » *in LXX non habetur*, *videlicet quia secundo dicitur propter multitudinem iniquitatis tuae*, *et dura peccata tua*; *et qui scribebant a principio additum putaverunt* (1). Illustrius adhuc Exemplum huiusmodi praetermissionum exhibet liber Iosue capite vicesimo primo ; ibi nempe , quum singulas Urbes a ceteris Tribubus disiunctas , atque filiis Levi adiudicatas nominatim recenseat divinus Scriptor , versiculos tres eadem hac clausula : *Civitates quatuor cum suburbanis eius* , concludit. Haec autem terna verborum geminatio scribis occasionem dedit medium versiculum praetereundi , vel similitudine decepti , vel eadem versuum conclusione , quae non modo socordium , verum etiam sedulorum obtutus in describendo libros nonnumquam confundit. Hinc factum est, ut in antiquioribus quibusdam Hebraicis manuscriptis , ac in veracioribus Latinis exemplaribus Hieronymianae Versionis , ut Maurini advertunt (2) , versiculus ille neutiquam legeretur (3).

(1) Tomo III. pag. 673. Editionis Maurinorum.
(2) Tomo I. pag. 275. ejusdem editionis.
(3) Non est hic silentio transeundum , quod Vallarsius in

XXI. Quod igitur in transcribendis Codicibus tum sacris, tum profanis frequentissime accidit, ac in dies etiam non raro evenit, cur, quaeso, in duplici Ioannis testimonio contigisse inficiabimur? Profecto enim duo Apostoli versus non solum iisdem incipiunt, ac desinunt vocibus, sed eodem quoque circuitu, et, ut ita dicam, orbe verborum continentur. *Ο'τι τρεις εισι οἱ μαρτυρουντες εν τῳ ουρανῳ* (ita se habet septimus) *ὁ Πατηρ, ὁ Λογος, και το Α'γιον Πνευμα· και οἱ τρεις ἑ'ν εισι·* octavus vero: *Και τρεις εισιν οἱ μαρτυρουντες εν τῃ γῃ το πνευμα, και το ὑδωρ, και το αιμα· και οἱ τρεις εις το ἑ'ν εισι.* Quid ergo factu facilius, quam quod librarius cum *textum* hunc transcriberet, ac iam voces illas: *Ο'τι τρεις εισι οἱ μαρτυρουντες κ. τ. λ.* scripsisset, obtutum ad Exemplar referens prae illis *εν τῳ ουρανῳ ὁ Πατηρ, ὁ Λογος,*

---

hunc Ioannis locum animadvertit; est enim maximi momenti ad argumentum, quod urgemus, confirmandum, nempe quod ipse legit in uno Canonicorum Veronensium Codice *maiusculis*, ut vocant, litteris scripto. Nimirum in hoc manuscripto Exemplari non septimus, sed octavus versiculus deerat. Quid hoc exemplo clarius adduci unquam poterit ad demonstrandum non alia ratione, nisi Scriptoris errore accidisse, ut in multis Codicibus *ισοκωλον* illud, quod *Coeleste Testimonium* continet, praetermitteretur? Vide *Hieronymi* Operum editionem Veronensem. Tomo X. pag. 1079.

και το ἅγιον Πνευμα, alia *εν τῃ γῃ το πνεῦμα, και το αἷμα* oculo aberrante describeret?

XXII. Quum autem Exemplaria unum ex altero exscriberentur, atque hac ratione unius mendum in alia innumera transiret; hinc factum est, ut plures manuscripti Codices tum Graeci, tum Latini septimum versiculum praeterirent. Error hic vero diu latuit, ac longe lateque diffusus est; primis namque Ecclesiae saeculis rariora erant Epistolarum Canonicarum *απογραφα*, uti etiam hodie in vetustis Bibliorum manuscriptis perraro inveniuntur: praesertim quum primam hanc Epistolam ex Veterum sententia ad Parthos, nempe ad Christianos, qui ultra Euphraten commorabantur, Ioannes scripsisset; ex remotissimis illis regionibus, ac Imperio Romano infensissimis aut ipsum Apostoli *Αυτογραφον*, aut ab eo transcripti Codices difficile admodum, ut nonnulli autumant, obtineri poterant.

XXIII. Nihilo tamen secius cum permulta Exemplaria integra omnino adhuc permanerent, errorem tandem scribarum plerique advertentes in Codicum suorum margine septimum versiculum descripserunt, vel ipsum in aliis Codicibus reperiri non dissimularunt. Quorum unum, ut alia plurima taceam, in nostra Regia Bibliotheca vidi, in cuius margine haec legebantur: *εν τῳ ουρανῳ ὁ Πατηρ,*

ὁ Λογος, και το Ἁγιον Πνευμα· και οἱ τρεις ἑν εισι. Και τρεις εισιν οἱ μαρτυρουντες, alterum laudatus eiusdem Bibliothecae Praefectus Ioannes Andresius Venetiis inspexit, cuius scriptor etsi in contextu septimum versiculum praeterisset, in margine tamen se in alio Codice illum legisse monebat his verbis: Οὑτως εν αλλῳ. Ὁτι τρεις εισιν οἱ μαρτυρουντες εν τῳ ουρανῳ, ὁ Πατηρ, ὁ Λογος, και το Ἁγιον Πνευμα, και οὑτοι οἱ τρεις ἑν εισι. Και τρεις εισιν οἱ μαρτυρουντες εν τῃ γῃ, και τα λοιπα. Librariorum ergo incuria, vel potius proclivi quodam lapsu, ac involuntario errore exemplaria multa Graeca, et Latina septimo versiculo caruisse cognitum perspectumque habemus. Ceterum versiculi γνησιοτητα aperte quidem, et firmissime demonstrant tum plurima vetustissima, ac omni ex parte emendatissima manuscripta Exemplaria, quorum momenta in prima huius Disputationis parte iam ponderavimus; tum Patrum ecclesiasticorumque Scriptorum auctoritates, quas in altera parte mox perpendemus.

XXIV. Horum primus, qui controversi Testimonii meminerit, Tertullianus fuisse videtur antiquissimus Ecclesiae Pater, secundo Christi saeculo praeclara nominis fama in Africa celebratissimus. In libro enim, quem contra Praxeam scripsit, de Personarum divinarum *connexu*, ut ipse loquitur, seu περιχωρησει, ut

aiunt Scholae, sermonem habens, rem totam, de qua agit, his verbis concludit (1): *Ita connexus Patris in Filio, et Filii in Paraclito tres efficit cohaerentes alterum ex altero, qui* tres unum sunt, *non unus, quomodo dictum est. Ego et Pater unum sumus ad substantiae unitatem, non ad numeri singularitatem.* Quibus quidem verbis, *qui tres unum sunt*, ad septimum Apostoli versiculum, in quo de divinis Personis dicitur: *Καὶ οἱ τρεῖς ἕν εἰσι*: *Et hi tres unum sunt*, Tertullianum adlusisse Hammondus, Bullus, aliique iure meritoque opinantur. Enimvero minime admirandum videtur Tertullianum, virum in scribendo asperum, atque durum, qui Sacrae Scripturae verba magis carpere, ac delibare, quam plenius citare solet, septimum versiculum integrum non commemorasse. Nec voces illas, *qui tres unum sunt*, ex Evangelii loco, quem postea nominat, decerpsisse credendum est; quum Christi verba non ad confirmandam trium Personarum unitatem, quam solo Ioannis testimonio satis superque demonstrasse arbitratus est, sed ad eam illustrandam exempli causa adhibuerit.

XXV. Quod si alicui Tertulliani ferrei Scriptoris auctoritas aliquanto obscurior videatur, Cypria-

---

(1) *Cap. XXV. pag.* 515. Editionis Rigaltianae Venetiis CIↃIↃCCXLV.

num audiat Tertulliani discipulum, qui in libro de *Unitate Ecclesiae* (1) non quasi εν παροδῳ, sed ex proposito controversum versiculum commemorat. Ibi namque de infinita divinarum Personarum unitate verba faciens illam his Scripturae testimoniis confirmat: » *Ego et Pater unum sumus*: » *Et iterum*, inquit, *de Patre*, *et Filio*, *et Spiritu Sancto scriptum est*: » *Et hi tres unum sunt* » (2). Quum igitur non alibi *textum* hunc legamus, quam in prima Ioannis epistola, septimum versiculum Cyprianum usurpasse quis est, qui non videat?

XXIV. Tanti testimonii evidentia, et gravitate perculsus Simonius omnes vias persequitur, quibus ostendat Cyprianum non septimum, sed octavum versum allegorice expositum citavisse. At quamvis magno conatu studioque firmas rationes ad id comprobandum perquirere, et investigare nitatur, sola Facundi Hermianensis auctoritate coniecturam suam

(1) Pag. 195, et seq. Parisiis CIƆIƆCCXXVI.

(2) Etiam in epistola ad Iubaianum pag. 88. locum hunc referre videtur beatissimus Martyr: *Si baptizari*, inquit, *quis apud haereticum potuit*, *utique et remissam peccatorum consequi potuit. Si peccatorum remissam consequutus est*, *et sanctificatus est*, *et templum Dei factus est. Quaero cuius Dei? Si Creatoris*; *non potuit qui*... *Si Christi*; *non huius potest fieri templum*, *qui*.... *Si Spiritus Sancti*, *quum* tres unum sint, *quomodo Spiritus Sanctus*, etc.

nimis levem fulcit (1). Nos vero tantis rationum momentis Simonii commentum dissolvemus, ut illud non modo Cypriani auctoritatem nobis e manu non eripiat, verum ipsam magis magisque illustret.

XXV. Primum enim Facundo Fulgentium opponimus, qui non octavum, sed septimum versiculum a Cypriano laudatum fuisse testatur his verbis (2): *In Patre ergo, et Filio, et Spiritu Sancto unitatem substantiae accipimus, personas confundere non audemus. Beatus Ioannes Apostolus testatur dicens:* » *Tres sunt qui testimonium perhibent in Coelo, Pater, et Verbum, et Spiritus Sanctus, et tres unum sunt* ». *Quod etiam Beatissimus Martyr Cyprianus in Epistola de Unitate Ecclesiae confitetur dicens . . . . . .* » *Ego et Pater unum sumus* ». *Et iterum de Patre, et Filio, et Spiritu Sancto scriptum est :* » *Et hi tres unum sunt* ». Cur, quaeso, Facundi potius, quam Fulgentii auctoritatem sequutus est Simonius? Nonne magis perspectam habuisse

(1) *Si l'on doute que ce soit là le veritable sens des paroles de Saint Cyprien, on n'a qu'à consulter le docte Facundus qui étoit de la meme Eglise d'Afrique, et qui les explique au long, prouvant de-là à son exemple le Mystère de la Trinité.* Histoire Critique, *Tomo II*, *chap. XVIII*, *pag.* 212.

(2) *In Responsionibus contra Arianos*, p. 68. Parisiis CIↃIↃCLXXXIV.

poterat Cypriani mentem Facundus, qui tercentum post Cyprianum annis in regione remotissima floruit, quam Fulgentius, qui illi aliquanto propior in Africa ipsa scripsit? Cyprianum ergo non octavum, sed septimum versiculum memorasse Fulgentii testimonium firmius probat. Praeterea quum Spiritus, Aquae, et Sanguinis unitas non ipsorum naturam, sed consensum in Christi divinitate confirmanda respiciat, octavum versiculum frustra Cyprianus ad infinitam trium Personarum unitatem demonstrandam adhibuisset. Quid quod Mysticae huius interpretationis in Cypriani operibus ne vestigium quidem apparet? Quinimmo nec Graeci, nec Latini Patres per annos a Cypriano plus centum huiusmodi allegoriae meminerunt. Primus omnium eam invexisse videtur Augustinus (1), cuius vestigiis praeter alios inhaesit Facundus Hermianensis in *trium Capitulorum Defensione*, ubi octavum versiculum allegorico sensu de Patre, et Filio, et Spititu Sancto exponit.

XXVI. Illud demum septimum versiculum, non octavum Cyprianum protulisse luculenter ostendit,

(1) Lib. II. *contra Maximinum*, Tomo VIII Operum pag. 514 Antuerpiae cIↄIↄcc.

quod in vetustioribus Codicibus verba haec : *Et hi tres unum sunt* plerumque in *coelesti Testimonio*, non vero in *terrestri* legantur. Particulam hanc nimirum Anglicanus, et Hispaniensis Codices, Exemplar quoddam Lovanii, alterum quod in Abbatia Divae Gertrudis adservabatur, tria vetusta Missalia praetermiserunt, ut testificatur Hessellius; eam non referebant Exemplaria quindecim, quae Lovanienses Theologi legerunt; illam nec Latino, nec Graeco *Textui* inseruit Arias Montanus; ipsam denique Cassiodoriani Codices, quos antiquissimos fuisse patet, omittebant. Cyprianum ergo septimum versiculum ad confirmandam simplicissimam trium personarum unitatem in medio posuisse tam certum est, atque exploratum, ut nemo, cui, ut aiunt, cor sapiat, illud ambigere possit. Quamobrem miror Simonium, qui critica arte pollebat, hac in re turpiter hallucinatum fuisse, ut septimi versus αυθεντιαν obstinate nimium perstringeret, ac labefactaret.

XXVII. Iam vero non modo Tertullianus, et Cyprianus celeberrimi Africae Patres, verum etiam universi Africani περικοπην hanc in operibus suis exhibent, atque commemorant. Vigilius Tapsensis, qui saeculo reparatae salutis quinto floruit, libro primo *de Trinitate*, hoc Mysterium eodem Apostoli loco

confirmat, quum inquit: ***Dicente Ioanne Evangelista in Epistola sua : » Tres sunt qui testimonium perhibent in Coelo Pater, Verbum, et Spiritus Sanctus*** »(1). Auctor libri adversus Varimandum Arianum, quem Africanum fuisse opinatur Chiffletius, eiusdem loci meminit, quando adfirmat : ***Ioannes Evangelista ait . . . .*** » ***Tres tres sunt qui testimonium perhibent in Coelo Pater, Verbum, et Spiritus Sanctus, et hi tres unum sunt*** (2).

XXVIII. Ne autem Lectores meos humanissimos prolixiori oratione distineam, ac tot testimoniorum caterva molestiam ipsis exhibeam, Fidei Professionem, quam Hunnerico Vandalorum Regi obtulit Eugenius Carthaginiensis Episcopus, in medium proferre satis superque erit; illi quippe non modo Eugenius ipse, sed quadringenti Mauritaniae, Sardiniae, Corsicae, ac praesertim Africae Antistites subscripserunt (3). In hac Professione scilicet de Sanctissimo Trinitatis Myste-

---

(1) *In Bibliotheca maxima Patrum* Tomo VIII. pag. 775. Lugduni CIↃIↃCLXXVII.

(2) In eadem *Bibliotheca* Tomo V. pag. 729.

(3) Testatur Gennadius *de Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 97. ubi de Eugenio haec scribit: *Cum consensu omnium Africae, Mauritaniae, et Sardiniae, atque Corsicae Episcoporum et Confessorum, qui in Catholica permanserant fide, composuit librum fidei non solum*

rio verba faciens Eugenius, vel potius universae Africae Ecclesiae ita loquuntur: *Et, ut adhuc luce clarius unius Divinitatis cum Patre, et Filio Spiritum Sanctum esse doceamus, Ioannis Evangelistae testimonio comprobatur; ait enim: Tres sunt qui testimonium perhibent in Coelo Pater, Verbum, et Spiritus Sanctus, et hi tres unum sunt* (1).

Non solum autem Africanos Scriptores universos, sed alios quoque et Latinos et Graecos Auctores illud ipsum *Coeleste Testimonium* protulisse manifeste eorum scripta declarant. Nimirum inter Latinos eminent Hieronymus, et Cassiodorius, quorum testimonia in prima Parte examinavimus. Inter Graecos vero, ut Emmanuelem Calecam, cuius librum *de Principiis Fidei Catholicae* apud Combefisium (2) legimus, scriptorem longe recentiorem praetermittam, septimi versiculi meminit Auctor *Disputationis in Concilio Nicaeno* institutae, quam multa vetustate praeditam in-

---

Sanctarum Scripturarum sententiis, sed et Patrum testimoniis communitum, et per Collegas Confessionis suae porrexit Hannerico. Vide Miraei *Bibliothecam Ecclesiasticam* p. 73. Antuerpiae CIↃIↃCXXXIX.

(1) Citatae Patrum Bibliothecae Tomo VIII. pag. 686.

(2) In altera parte *Auctarii novissimi* p. 19. Paris. CIↃIↃCLXXII.

ter Athanasii Opera (1) recensent. De divinis Personis, earumque individua Natura Scriptor ille agens inter alia Scripturarum testimonia, Ioannis verba refert: *Προς δε τουτοις πασιν*, inquit, *Ιοαννες Φασκετ και οἱ τρεις ἑν εισι.*

XXIX. Eiusdem versus deinde meminerunt planius et apertius quarti Lateranensis Concilii Patres ab Innocentio III convocati, qui primum, ac praecipuum Catholicae fidei Dogma Ioannis versiculo confirmarunt (2): *ὃν τροπον εν τῃ κανονικῃ του Ιωαννου επιςολῃ αναγινοσκεται· ὁτι τρεις εισιν οἱ μαρτυρουντες εν τῳ ουρανῳ ὁ Πατηρ, ὁ Λογος, και το Πνευμα Αγιον· και ουτοι οἱ τρεις ἑν εισι.* In *Αποςολῳ* demum, seu Apostolicarum Epistolarum collectione, qua etiam hodie Orientales utuntur, quintum primae Ioannis Epistolae caput, in quo septimus versiculus integer reperitur, *τᾳ ε' της λε ἑβδομαδος*, nempe *feria quinta Hebdomadis a Paschate tricesimae quintae* legendum praecipitur.

XXX. Non est autem hic silentio praetereundum profani Scriptoris antiquissimi testimonium, cu-

(1) Vide Tomo II. pag. 229. Paris cIↃIↃxcviii.

(2) Inter *Acta Conciliorum* ab Harduino collecta Tomo VII. pag. 18. Parisiis ex Typogr. Regia cIↃIↃccxiv.

ius verba ad Ioannis locum adludere videntur. Lucianus Christianae fidei, imo Religionum omnium derisor, qui secundo Ecclesiae saeculo scripsit, in *Philopatride* Deum Christianorum *Unum ex tribus, et ex uno Tria* Ε'ν εκ τριων, και εξ ε'νος Τρια irridens appellat : in eo quippe Dialogo Triephon Critiam, ut non adiuret, nisi per magnum Christianorum. Numen his verbis hortatur :

Υ'ψιμεδοντα θεον μεγαν, αμβροτον, ουρανιωνα
Υἱον Πατρος, Πνευμα εκ Πατρος εκπορευομενον
Ε'ν εκ τριων, και εξ ἑνος Τρια.

Quibus quidem vocibus Lucianus ostendit sua aetate primis nempe saeculis septimum versum, in quo de Patre, et Filio, et Spiritu Sancto dicitur, *Και οἱ τρεις ε'ν εισι* in ore omnium Fidelium fuisse versatum (1). Quod si controversum locum Lucianus ipse, nedum innumeri pene Sacri scriptores memorarunt, quis erit ultra de ipsius *αυθεντια* dubitandi locus ?

---

(2) Consule Luciani Opera Tomo III. pag. 596. Amstelodami CIƆIƆCCXLIII. ubi leges animadversionem Ioannis Friderici Reitzii, qui verba illa Ε'ν εκ τριων, και εξ ἑνος Τρια Lucianum ex 1. Ioan. v. 7. deprompsisse monet. Non me latet quosdam putasse hunc Dialogum alterius Luciani Samosatensi antiquioris esse, ut initio Φιλοπατριδος pag. 584. Theodorus Marcilius probat : verum ex hoc argumentum corroborari potius, quam infirmari quisque videt.

XXXI. Verum clarissimis hisce veterum Patrum, aliorumque Scriptorum testimoniis Athanasium, Epiphanium, Basilium, utrumque Gregorium, Chrysostomum, aliosque multos opponunt Adversarii. Quid est enim, inquiunt, quod hi omnes, quando praesertim cum Arianis, Macedonianis, ceterisque Trinitatis hostibus manum conserebant, locum illum Apostoli ad Trinitatem stabiliendam aptissimum, quasi telum acerrimum in Adversarios non intenderint? Numquid hanc Sacrae Scripturae particulam ignorare poterant, qui divinos libros diu, noctuque meditabantur, ac omnia ipsorum oracula ad verbum memoria retinebant?

XXXII. At vero laudatorum Patrum silentium, quod septimi versus inimici tanta animi contentione nobis obiiciunt, inextricabilem nodum non esse, ut ipsi venditant, multa argumenta suadent. Primo namque multa Opera veterum Patrum longa saeculorum intercapedo nobis e manu eripuit (1); et multa quidem inter deperdita omni prorsus abiecta spe deploramus, aliorum vero nonnisi fragmenta quaedam ad nostram usque aetatem pervenisse conquerimur. Deinde, quum in aliquibus manu scriptis Codicibus versus ille pro-

(1) Ad hoc demonstrandum satis quidem est vel Hieronymi Opus *de Viris Illustribus*, ac Photii Μυριοβίβλιον legere, in quibus innumera passim huiusce facti argumenta occurrunt.

clivi quodam, ac involuntario casu a Librariis praetermissus fuisset, veri simillimum videtur citatos Patres vel imperfectis Exemplaribus usos fuisse, vel quia in nonnullis deesse noverant, ne Adversariis *textus* falsitatem exprobrandi occasionem darent, Ioannis locum praeterire, atque alios, de quibus illi nullum movere poterant dubium, in medio proponere satius existimasse. Quis demum qui Artis cogitandi principia vel leviter attigerit, argumenta quae Logici negativa appellant prae iis, quae positiva dicuntur, nihil firmamenti, ac roboris habere ignorat? Licet ergo unus sanctorum Patrum, vel alius Ecclesiasticus Scriptor, cuius diligentiam, et fidem cognitam perspectamque haberemus, *Coeleste Testimonium* proferret, atque alii omnes illud silentio praeterirent, nihilo tamen secius controversi loci *αυθεντια* firmissimo initeretur fundamento.

XXXIII. Quamobrem eruditissimus Millius postquam universos Patres, in quorum Scriptis septimus versiculus non semel legitur, singulatim enumerasset, aliorumque, qui illum quandoque nominarunt, testimonia retulisset, se solius Tertulliani auctoritate Apostolici *textus* sinceritatem sibi certo persuasisse concludit (1). *Pericopen hanc* (en memo-

(1) Quod mirum profecto nulli erit, qui meminerit Tertul-

randa ipsius verba) *utcumque postea disparuerit, in ipso certe Ioannis Autographo extitisse, aliisque aliquot ad illud descriptis Exemplaribus compertum satis mihi est ex Tertulliani testimonio supra adducto* (1). Quum autem non Tertullianus solum, sed Cyprianus quoque, Fulgentius, Victor, Vigilius, aliique tum Africanae Ecclesiae Antistites, tum aliarum Ecclesiarum Patres illustrioribus adhuc testimoniis laudaverint; qua ratione ipsius γνησιοτητα in dubium revocare poterunt Critici?

XXXIV. Sed etiamsi omnes omnino Patres, atque sacri, profanique Scriptores versum hunc, de quo disserimus, numquam nominassent, atque universa prope Exemplaria in eo praetermittendo conspirassent, ipse tamen orationis contextus, aliaeque firmissimae rationes ab Arte Critica depromptae ipsum genuinum esse admirabili evidentia demonstrant. Ni-

---

liani aetate in Apostolicis Ecclesiis ipsas authenticas Apostolorum epistolas ab omnibus legi posse. *Age iam* (inquit in lib. *de Praescriptionibus* cap. XXXVI. pag. 338. Rothomagi CIↃIↃCLXII.) *qui voles curiositatem melius exercere in negotio salutis tuae, percurre Ecclesias Apostolicas, apud quas ipsae adhuc cathedrae Apostolorum, apud quas ipsae authenticae litterae eorum recitantur.*

(1) In *Novo Testamento* graece edito Oxonii CIↃIↃCCVII. pag. 746.

mirum ordo verborum, sententiarumque Apostoli septimum versiculum non modo postulat, verum adeo flagitat, ut ubi *coeleste Testimonium terrestri* coniungatur, mirabili quodam contextu primis extrema respondeant, plena atque cohaerens Oratio videatur; manca vero atque hiulca evadat, ubi septimus versus de loco suo vi deiiciatur.

In hac quidem Epistola (quam Parthis, seu Iudaeis, qui ultra Euphratem commorabantur, ibique Christi fidem receperant Ioannem misisse opinantur Veteres) Cerinthi praecipue, Ebionis, aliorumque, qui Christi Divinitatem inficiabantur, impia dogmata evertere sibi proposuit Apostolus. In ea autem Epistolae parte, de qua agimus, ex illa Hebraeorum lege: *In ore duorum, vel trium stet omne verbum* ad demonstrandam Christi divinitatem argumentum desumit. Itaque his verbis argumentatur Apostolus: *Tres sunt, qui testimonium dant in Coelo Pater, Verbum, et Spiritus Sanctus; et hi tres unum sunt: Et tres sunt qui testimonium dant in Terra Spiritus, Aqua, et Sanguis, et hi tres in unum sunt. Si testimonium hominum accipimus* (en clausula, qua duo testimonia comparans argumentum concludit) *testimonium Dei maius est, quoniam hoc est testimonium Dei, quod maius est, quoniam testificatus est de Filio suo.* In qua Ioannis argu-

mentatione tanta est rerum, verborumque series atque iunctura, ut non secus ac in machina quadam ex variis partibus tam apte composita atque compacta, ut quaevis pars alteri cohaereat, nec sine illa stare possit, si unam demas, ipsa machina tota corruit, ita Apostoli argumentum, ubi membrum unum, vel incisum loco suo dimoveas, totum illico evanescit.

XLIII. Videlicet si septimum versum e medio tollant Adversarii, quem genuinum non esse contendunt, ubi est, quaeso, admirabilis illa continuatio, seriesque rationum, ac verborum, qua aliud ex alio pendet, et omnia inter se apta, colligataque videntur? Profecto tota evanuit, nec amplius lucidus ille sermonis ordo mentem delectat, sed confusa et perturbata oratio aures offendit. Quorsum enim ista: *Et tres sunt qui testimonium dant in Terra*, quum nemo unus sit qui testificetur in Coelo? Quid sibi vult coniunctio *et* quando nihil praecedit, cum quo sequentia connectat? Cui, obsecro, illud *in terra* opponit Apostolus, quippe qui numquam antea Coelum nominaverit? Quid praeterea, quid est quod inter testimonium Dei, *et* hominum comparationem instituat? Ubi sunt, quaeso, testes Divini? Quodnam est coeleste Testimonium? Cur illud non semel, sed iterum atque iterum

commemorat Apostolus, quum testes Divinos numquam protulerit? Certe quidem ubi septimus versiculus e contextu divellitur, confusus omnino, ac permixtus evadit Apostoli sermo, ipsius dicta nequaquam sibi cohaerent. Ipsa igitur orationis series *Coeleste Testimonium* sincerum esse atque germanum Apostoli partum invicto argumento demonstrat.

Quis enim dicere audeat Evangelistam Spiritus Sancti afflatu concitatum nec vera, nec sibi invicem cohaerentia conscripsisse? Quis erit tam perfrictae frontis, ut quod de quovis Scriptore mediocriter litterato adserere non auderet, de ipso sapientissimo Numine per summam impudentiam adfirmare non vereatur? Quum igitur Criticae Artis regulae, quemadmodum Auctori abiudicandum esse iubent, quod ipsius ingenio, moribus, scribendi rationi, aliisque adiunctis opponitur, ita Scriptori adiudicandum esse docent, quod ipse praetermittere non poterat, quin sibi parum constaret; septimum versiculum Apostolo esse adscribendum nemo mente sana haesitabit. Qui enim fieri poterat ut parum sibi constaret Ioannes, qui in Christi pectore recubuit, atque ex Arca illa coelesti, ceu ex ipsius Sapientiae fontibus incredibilem scientiam, ac prorsus divinam affluentius hausit? Ergo vel Epistolam illam Ioannes non exaravit, quod nec ipsi

Adversarii umquam in dubium revocarunt, vel septimum versum in ea scripsisse tam certum est quam quod certissimum (1).

XLIV. Hoc quippe, praeterquam quod ipse Orationis contextus pro certo habere iubet, manu scriptorum Codicum hac in re mira varietas comprobat, atque confirmat. In hac enim Apostolicae Epistolae parte tam variae sunt manu exaratorum Exemplarium, tamque discrepantes lectiones, ut magno argumento esse debeant Vulgatae Editionis lectionem genuinam esse, atque omnibus hisce variationibus vetustiorem. Alia nimirùm Exemplaria, ut Alexandrinum, Vaticanum, quindecim a Millio laudata, sex Colbertinae Bibliothecae, quinque Parisiensis, quorum meminit Simonius, *Coeleste Testimonium* omnino praetermittunt. Alia, ut Vaticana vetustissima, emendatissimaque,

---

(1) Hac ratione praesertim motus Calvinus hunc Ioannis locum e *Textu* expungendum non esse plane concludit. *Hoc totum a quibusdam omissum fuit. Hieronymus existimat malitia potius, quam errore id fuisse factum, et quidem a Latinis dumtaxat. Sed, quum ne Graeci quidem Codices inter se consentiant, vix quidquam adserere audeo. Quia tamen optime fluit contextus, si hoc membrum addatur, et video in optimis, et probatissimae fidei Codicibus haberi, ego quoque libenter amplector.* Comment. in 1. Ioan. epistol. Tom. VII. pag. 74. 75. Amstelodami CIƆIƆCLXVII.

Hispanum, Britannicum, Stephanica omnia, Cassiodoriana integrum exhibent. Quaedam, ut Exemplar Minoritarum Antuerpensium, Argentorati, Bibliothecae Colbertinae, Bodleianae, San - Germanensis, aliarumque non in contextu, sed margini adscriptum habent (5). Quaedam vero, ut Genevense, quinque Bodleiana, duo Constantiensia, aliud San-Germanense, Codex S. Andreae Brugensis in ipsa Orationis serie versiculorum septimi, et octavi ordinem invertunt. In nonnullis verba illa *εν τῳ ουρανῳ*, in aliis *ετ τη γη*, in aliis denique *και οἱ τρεις ἑν εισι* de alterutro Testimonio praetermissa fuerunt. Quibusdam in Codicibus pro *Spiritus*, *Aqua*, *et Sanguis*, legitur *Sanguis*, *Aqua et Caro*; alii verbis illis octavi versus *in Christo Iesu*, alii *in nobis* addunt; alii totum illud incisum silentio praetereunt. *Tanta varietas in hoc proferendo loco* (sic argumentatur Harduinus) *vel potius tantus furor*, *et tam dissimilis sui in eodem*

---

(1) In pag. 31. huius Διατριβης duos manu scriptos Codices citavi, quorum in altero librarius controversum Ioannis locum in contextu omissum in margine supplevit, in altero vero lectorem monebat se versiculum, quem in suo Exemplari praetermiserat, in alio legisse.

immutando quid demum docet, *nisi et vetustiorem esse eum*, *ut in Vulgata Editione legitur*, *quam sunt mutationes illae*, *et genuinum illum esse*, *purumque fontem? Nam ex sincera Oratione fingi adulterina quidem potest*, *ex adulterina autem*, *praesertim tam varia atque diversa*, *tam simplex Oratio*, *ac omni ex parte vera nequaquam potest* (1).

Quod enim septimum versum facili quodam lapsu in aliquibus Exemplaribus praetermiserint Librarii, hoc quidem nullo labore concipi potest. At illum in nonnullis Codicibus malitiose invectum fuisse et impossibile factu, et incredibile dictu prorsus est. Quis enim primus omnium sacrum *Textum* hac in parte adulteravit? Qua in regione? Quo Ecclesiae saeculo? Quibus mediis? Quis ex coaevis Scriptoribus interpolationem illam memoravit? Cur nemo unus Arianornm, aliorumve Catholicae Fidei hostium eam Patribus obiecit, atque exprobravit? In secunda nempe huius Disputationis parte permultos Ecclesiae Patres *Coeleste Testimonium* ad comprobandum Trinitatis Mysterium adversus Aria-

(1) Comment. in Nov. Test. pag. 802. Amstel. CIƆIƆCCXLI.

nos praecipue adhibuisse demonstravimus. Quid ergo est, quod nullus eorum firmissimum huius argumenti robur adulterationis exceptione eluserit?

Postremo illud ab Adversariis sciscitamur, qua ratione scilicet fieri potuit, ut Fideles, qui Sacrae Scripturae Codices vetustissimis illis temporibus ad verbum memoria retinebant, ac tanta veneratione prosequebantur, ut parati essent mori potius, quam vel levissimam immutationem in Dei verbo fieri paterentur, integrum versiculum in Ioannis Epistolam intrudi libenter tulerint, quin eorum nemo adversum falsarios reclamaret? Memorandum sane est, quod Augustinus (1) in Africana quadam Ecclesia accidisse narrat; nempe quod, cum illius Ecclesiae Episcopus caput quartum Ionae Prophetae publice exponeret, ac versu sexto pro *hedera cucurbitam* legisset, tam magnum tumultum inter Fideles excitaverit, ut Sacrum librum adulteratum fuisse rati numquam quievissent, nisi varietatem hanc nullius momenti statim Episcopus correxisset. Omni igitur fundamento caret, ac Criticis legibus universis adversatur illorum opinio, qui septimum versiculum falsum, atque suppositum esse

---

(1) Tomo I. Ep. LXXI. pag. 121. Antuerpiae CIƆIↃCC.